


05

A

822









כַּשֵׁן יְהוּדָה

DISPUTATIO METAPHYSICA

De

PRINCIPIO IN-

DIVIDUATIONIS,

Quam

ATHENIS LEUCOREIS

publicæ cognitioni subijciunt

P. R. Æ S E S

M. GERHARDUS WICHMAN,

Facultatis Philosophicæ Adjunctus

&


RESPONDENS

ANDREAS Weischhacker /

Rustensis Hungarus.

ad d. 30. April. in Aud. minor.

hor. matut.



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.

18.







05 A 822



**A**Rdua sanè & non levis, ut primâ forsan fronte apparet præsens de Principio Individuationis est materia: Magna enim inter Philosophos lis est & altercatio, de Ente singulari ac Individuo, quod nam verum ejusdem sit Individuationis ac singularitatis Principium, seu à quonam intrinsecè illud singularificetur atq; individuificetur, & sanè quando ad certa Entium, quæ in universo Entis communissimi & abstractissimi latifundio deprehendimus, genera aliquantisper descendimus, rem difficultate non carere facilè animadvertimus, tanta enim tum occurrit varietas atq; disparitas, ut circa sententiam ac conclusionem decisivam mens fluctuet, ac mirum in modum distrahatur.

§. 2. Unde tot ac tanta reperimus, tam apud recentiores, quàm apud priscos Philosophos sententiarum divortia, tot ac tanta scholasticorum Thomistarum ac Scotistarum hac de re certamina, qui dum terminos vel diversimodè supponunt vel in sensu peregrinū detorquent, vel planè ἀλλότεια & impertinentia immiscent & ad præsentē applicant materiam, doctrinā hanc non tam explicare quàm implicare, eandemq; non clariorem, sed potius obscuriorem & perplexiorem reddere videntur. Quamobrem operæpretium omninò facturi sumus, si hanc de Principio Individuationis materiam diligenter pertractemus, spinosas & magis futiles quàm utiles quæstiones removeamus & omittamus, utiles verò ac necessarias controversias pro virili decidamus, atq; adeò unicam & simplicem hac de re veritatem, quantum quidem fieri potest omni difficultate remota investigemus & candidè aperiāmus, ita fiet ut animus à dubiis plurimis liberetur, atq; ita certus fixusq; persistere, inq; veritate simplici confirmatus tutò acquiescere possit.

§. 3. Verum enim verò significandum ante omnia esse putamus, quorsum, sive ad quam disciplinam hæc de Principio Individuationis materia propriè spectet, quosdam enim in Logicis



quosdam verò in Physicis, alios in Metaphysicis operis de hac materia agere palam est, sed perperam, nam evolutio formalitatis alicujus generalis atq; Communis, & præterea quoq; realis non notionalis, (qualis est τὸ Principium Individuationis, cum illud in Ente singulari seu individuali communiter & irrestrictè sumpto realiter radicetur ac terminetur) revocanda est ad disciplinam realem, communem & generalem, non ad particularem realem, qualis Physica est, neq; ad communem instrumentalem quæ de notionalibus agit, qualis logica est: Pertinet igitur præsens materia ad primam philosophiam seu metaphysicam, cujuscunq; enim disciplinæ est agere de ente singulari reali in Comuni illius quoq; disciplinæ est agere de Principio Individuationis seu singularitatis illius Entis singularis realis in Comuni, seu de eâ formalitate, per quam Ens singulare reale & commune constituitur in esse Entis singularis & Individui jam verò Metaphysicæ competit prius quod nemo negat E: & Posterius.

§. 4. Atq; hanc, de Principio Individuationis materiam ad solam metaphysicam spectare, considerationis metaphysicæ tantum esse inq; aliis disciplinis proponi nec posse nec debere agnoscit Zabarella lib. de Constit. Individui c. i. ab initio ita scribens: *Ego cum de rebus naturalibus scribendum mihi proposuissem de dimittenda prorsus hac disputatione (scil. de Principio Individuationis) non parum cogitavi, cum viderem eam ad naturalem Philosophum minimè pertinere, sed absq; dubio ad Metaphysicum, ideòq; vereor, ne talia ipse tractans obnoxium me eidem crimini redderem, quod plerisq; aliis objicere solitus sum: quum enim multi & in Aristotele interpretando & in Philosophicis libris conscribendis alienas à proposito disputationes instituere soleant, & tum ea, quæ ad Metaphysicum attinent tractare diffusè in scientia naturali, tum quæ ad naturalem in Metaphysicâ, tum etiam, quæ ad contemplativas scientias, & ad Logicam pertinent, cum moralibus commiscere & variis aliis, modis, diversas disciplinas coacervare non dubitaverint haud quaquam in hoc Peripatetici, neq; artificii Aristotelici imitatores; ego ab hac philosophandi ratione me abhorrere semper professus sum, & ab extraneis questionibus proponendis ac diligenter*



genter excutiendis abstinui, nisi obiter ac leviter aliqua tangere occasio me forte coegerit: ob id cum individui constitutionem, quam nostri Individuationem vocant, à solo Metaphysico declarandam esse animadverterem, eam prorsus missam facere decreveram, ne libris naturalibus librum metaphysicum connumerare viderer.

§. 5. Ut autem status Controversiæ legitimè formetur sciendum est in totâ hac materia non disputari de primò principio Individuationis extrinseco certum enim est causam efficientem & præsertim Deum esse primum principium Individuationis cujuslibet Creaturæ, cum enim ille sit prima causa ipsius esse creaturæ, erit etiam prima causa ly esse singularis seu individualis Creaturæ, ab eo enim à quo res singularis habet esse efficienter, ab eo quoq; habet esse singulare seu individuale efficienter; sed controverti unicè de primò principio cujuslibet Entis singularis formali & intrinseco, seu quænam sit interna ratio singularitatis ejusdem, quidve illud sit, à quo formaliter res individua & singularis talis sit, atq; dicatur, atq; circa hoc ipsum *ἴτημα* in diversas Authores scinduntur partes.

§. 6. Optimè igitur nobiscum Johannes Lalemandetius in *Cursu Philosophico Disp. 7. de ente Metaph. ejusq; divis. part 3. p. 718.* de principio Individuationis disputaturus in frontispicio statim inquit: *Duplex est Principium Individuationis: Unum in genere cause efficientis: Alterum in genere cause formalis: In genere cause efficientis est ipse Deus, qui ut communiter docetur in Physicis determinat causam secundam quoad individuum. Titulus ergo præsentis difficultatis intelligitur de principio formali Individuationis.* Atq; hoc principium individuationis formale atq; intrinsecum, quodcunq; tandem illud sit de quo postea dispicietur, non potest esse quid essentialiter distinctum à re singulari quam individuat atq; singularificat.

§. 7. Supponendum quoq; h.l. tanquam verissimum est, res omnes quæ à parte rei immediate existunt esse individuas & singulares, scil. quæ immediatè existunt atq; immediatè Entia actualia & positiva extra intellectum existentia sunt, nam aliàs communes entium rationes atq; conceptus universales objectivi entium ut immediatè non existunt, ita nec Entitatem actualem habent.



nisi in entibus individuis & singularibus, in quibus radicantur, ac propterea tali quoque singularitate, de qua loquimur non gaudent. Atque adeo omnes substantiae tam materiales, quam immateriales, quae actualem habent existentiam, singulares atque individuae sunt. Imò ipsum quoque Ens infinitum, Deus noster gloriosus, quatenus singulariter & in simplicissimâ unitate subsistit, Ens singulare imò singularissimum est, nullo modo verò Ens universale, cum essentiam habeat singularissimam & nullatenus univ ersalem, ut enim propriè quid universale sit, necessum est, ut illud sit unum quid pluribus essentialiter commune, ita ut in iis multiplicari possit.

§. 8. Quamvis igitur essentia divina Entis infiniti sit una, sit etiam communis tribus personis, non tamen in tribus illis personis multiplicabilis est, aut actu multiplicatur, ac propterea quoque Ens infinitum singulare imò singularissimum Ens est ac manet. Ut ita res omnes immediatè à parte rei extra intellectum existentes revera singulares sint & individuae. Rectè hac de re *Mendoza disp. 5. metaph. Sect. 1. §. 1. p. 347* ait: *Singulare, teste Aristotele est quod est unum numero: Id est, quod ita est unum, ut sit indivisibile in plura, quae habeant eandem rationem cum illo: Quo posito affirmandum est unamquamque rem singularem esse à parte rei; Probatur, quia impossibile est ut aliqua res dividatur in plures res, quae sint idem adequatè cum illâ; nam si sunt idem cum illâ; ergò non distinguuntur ab illâ: Ergò non potest in illas dividi; patet consequentia quia divisio realis est separatio partium realiter distinctarum. Alioquin quo pacto idem scinditur à se ipso? Si verò res in quas sit divisio distinguuntur realiter à diviso: Ergò divisum non dividitur in res, quae sint idem cum illo (quod intendimus) Ergò divisum est unum numero. Confirmatur, aqua verbi gratia potest dividi in plures partes. Nulla tamè pars est idem adequatè cum aquâ divisâ: Ergò aqua divisa erat unum totum singulare indivisibile in aliud totum idem adequatè cum illo: Hinc ostenditur non posse dari unam rem, quae indivisa manens multiplicetur in suis inferioribus. Idem quoque sentit *Svarez. Disp. 5. Metaph. sect. 1. p. 101.* & *B. Jacob. Martini in partitionibus Metaphysicis lib. 1. Sect. 4. q. 7. p. 181.**

§. 9. Hisce nunc ita præmissis, quaeritur primum in Genere, num res individuae seu Entia singularia in Communi indivi-  
duen.



duentur, per accidentia singularia, five an Principium Individuationis eorundē sint aut esse possint proprietates individuales, quæ in illis reperiuntur. Illæ enim proprietates individuales inferunt differentiam individuaalem, per quam Essentia rei singularis ac individuae contrahitur ad rationem singularem, unde quaeritur, num differentia illa individualis, quæ nihil aliud est, quam collectio omnium accidentium ac proprietatum individualium sit aut esse possit Principium Individuationis rerum singularium? Hæc sententia *Porphyrio* ut & *Scoto* tribuitur Communiter, quī multos ex Thomistis hac in parte consentientes habere perhibetur: Diciturq; *Scotū* voluisse hanc differentia individualē rei singularis ex natura rei distingvi ab essentia individuali, quod tamen concedi non potest, nā distinctio ex natura rei, non potest esse nisi inter duo in re existentia, quorū unum non est aliud, ac per consequens inter duo singularia, quæ enim à parte rei ita se habent, ut unum non sit aliud, illa sunt singularia; Cum singularitatis proprius sit effectus, rem facere hanc, & non aliam: Si igitur essentia distingveretur ex naturâ rei à differentia individuali seu singularitate, & hæc ab illâ, esset illa essentia singularis sine singularitate & quatenus distingvitur à singularitate, & sic illa differentia individualis seu singularitas distincta ab illa essentia non faceret illam singularem, sed supponeret jam ut singularem, quia eam supponeret ut à se distinctam.

§. 10. Caterum quicquid hac de re statuatur, five distinctio ex natura rei, five sola distinctio rationis inter hæc duo intercedere dicatur differentia individualis, seu collectio omnium proprietatum individualium pro principio Individuationis rei singularis formali & adæqvato venditari non potest, quia illa est tantum signum aliquod quoad nos notificans essentiam individualicam & quoad nostrum intellectum determinans ac limitans eandem ad esse individuale seu singulare, atq; hoc modo eam discernens ab esse universalis & communicabili, nequaquam verò est vera ratio formalis à parte rei intrinsecè constituens ens singulare in esse illo individuali, quod ipsum proprium est veri principii individuationis, ut ita differentia illa individualis ac collectio omnium proprietatum individualium potius consequatur, quam



quam constituat ens singulare & individuum & ut propterea *Scotus* & *Socienni* ejus hanc differentiam individualem quam *Hecceitatem* vocant, ex eo, quod per eam res sit hæc & non illa, vel ut *Lalemandetius loc. cit.* loquitur hanc *Ecceitatem* ita dictam, quia dum res est in individuo constituta, de eâ asferitur: *Ecce res*: pro principio Individuationis formali venditare nulla plausibili ratione possint.

§. 11. Rationes Scotisticas pro hac sententia militantes quod attinet prolixè eadem recensentur à *Lalemandatio loc. cit.* inter illas autem præcipua hæc esse videtur: Melius atq; commodius assignari unum Principium Individuationis commune rebus spiritualibus & materialibus, quam unum speciale pro materialibus & alterum speciale pro spiritualibus, sed ponendo illam differentiam positivam, individuaalem advenientem naturæ specificæ ipsamq; contrahentem ad gradum individuaalem assignatur commune principium individuationis rebus spiritualibus & materialibus, ergò commodius tale assignatur Principium Individuationis: Respondemus hanc rationem esse frivolaam: Cum enim specialis ac cuilibet propria individuationis ratio, quæ ex speciali entitate resultat in specialibus entibus deprehendatur, utiq; etiam cujuslibet Entis specialis speciale ac proprium individuationis principium est inquirendum quo igitur jure unum commune individuationis principium diversis ac specialibus rebus singularibus assignari commodè aut verè poterit?

§. 12. Sane qualis est Entitas individua, tale etiam est Principium Individuationis secundum illam entitatem: Jam verò entitas individua atq; singularis omnium rerum & entium singularum non est eadem & per omnia æqualis, alia enim materialem, alia verò spirituaalem habent entitatem, ergò quoq; non dabitur commune & æquale omnium rerum singularium individuationis principium, si hoc, ergò neq; assignari illud citra falsitatem omnibus rebus singularibus poterit. Quamobrem rectè ad hanc rationem Scotisticam respondet *Lalemandetius loc. cit. p. 711* *Nega commodius assignari ejusdem rationis principium individuationis pro rebus spiritualibus & materialibus, imò verò videtur com-*

mo-



modius assignandum diversa rationis: quia rebus diversa rationis debet attribui principium diversa rationis, res autem spirituales & materiales sunt diversa rationis, ergo debent habere diversa principia individuationis.

§. 13. Demonstravimus haec tenus Principium Individuationis entium singularium ut sic, seu in genere consideratorum non esse differentiam Individualem sive Haecceitatem aut Ecceitatem ex proprietatum Individualium collectione promanantem progrediendum nobis ulterius est & inquirendum, num existentia aut subsistentia rerum singularium eorundem principium Individuationis sit aut esse possit? Non desuisse, qui ita affirmaverint ex Scoto in 2. dist. 3. q. 3. Soncin. 7. Metaph. quest. 32. Cartb. in 2. dist. 3. Hæric. quodlib. 2 q. 8. refert Suarez. disp. 5. Metaph. Sect. 5. p. 123. qui monet in hac sententia dupliciter procedi posse, primò supponendo existentiam esse ex naturâ rei distinctam ab essentiâ individui: Secundo, juxta opinionem, asserentem, existentiam nihil aliud esse, quam actualem entitatem uniuscujusq; rei, atq; ita ratione tantummodo ab eâ distingvi.

§. 14. Posteriori modo putat Suarez. hanc sententiam coincidere cum opinione asserente unamquamq; rem individuari seipsâ nulloq; alio principio individuationis indigere præter entitatem suam: atq; ita solùm reprehendi posse hanc sententiam ait, quod obscuris & ambiguis terminis utatur, & quod existentia potius quam essentia hanc rationem individuationis tribuat, cum potius existentia non possit hoc convenire, nisi quatenus est idem cum essentiâ. Priori verò modo, si nempe dicatur existentiam esse rem seu modum ex natura rei ab essentiâ rei singularis distinctum, improbable est dicere rem singularem individuari per existentiam, quia existit, seu hanc esse principium individuationis.

§. 15. Ubi rectissimè quidem Suarez. hanc sententiam priori modo nempe de existentia rei singularis ex naturâ rei ab eadem distinctâ intellectam rejicit, quod eadem hoc modo absurdè admodum statuatur principium individuationis, idq; primò propterea, quia essentia intra latitudinem essentia manens, fit individua, & in ea contrahitur & determinatur essentia specifica, sed essentia

B

speci-



specifica non contrahitur per aliquid ex naturâ rei distinctum à se, atq; ita contrahi quoq; non potest ad individuum essentiam per existentiam, ut per aliquid ex naturâ rei à se distinctum. Secundò, quia (supposita illâ sententiâ) eadem individua Entitas conservatur sine suâ existentia, potest carere propriâ existentia, & tamen esse individua & habere intrinsecum individuationis principium. Quæ omnia non parùm absurditatis inferre videntur.

§. 16. Sed in iudicio, quod de posteriori modo, accepta rei singularis existentia, nempe prout illa ratione tantum ab essentia rei singularis distinguitur, *Svarez.* fert, acquiescere simpliciter non possumus, negamus enim adhuc illam hoc modo acceptam esse formale & adæquatum principium individuationis rerum singularium, negamus accuratè loquendo hanc sententiam, quæ statuit existentiam rei singularis ratione tantum ab eadem distinctam esse principium individuationis rei singularis, coincidere cum opinione asserente unamquamq; rem individuari seipsâ, nulloque alio principio individuationis indigere præter entitatem suam: Hoc equidem ut verissimum ambabus largimur manibus, existentiam non realiter aut ex natura rei, sed formaliter tantum ac ratione distingvi ab essentiâ in omni ente singulari: Optimè enim inter alios *Gabriel Vazquez Diss. 7. Met. p. m. 113.* ait: *Essentiam & existentiam in quavis etiam re creatâ solâ ratione distingvi, vera sententia est.* Verùm existentiam rerum singularium propterea formale & adæquatum rerum singularium individuationis principium esse inficiamur, imbibitur quidem illa intimè ab essentiâ entium singularium, atq; intrinsecè in eadem includitur, idcirco tamen nondum formaliter & adæquatè rationem singularitatis in entibus singularibus absolvit, ut taceam non satis accuratè à *Svarezio*, nec non ab aliis dici existentiam nihil aliud esse, quam actuale entitatem uniuscujusq; rei, nam entitas actualis uniuscujusq; rei infert propriè ipsam essentiam rei uniuscujusq;, eandemq; totalem, perfectam atq; completam cum positione ultimata extra causas, ac existentia notat tantummodo modum realem in illâ essentiâ completâ & totali uniuscujusq; rei, sive ipsum actum entitativum uniuscujusq; rei singularis per quem illa extra causas constitutâ esse, & actu existere concipitur.

§. 17



§. 17. Undè patet ipsam entitatem actualem uniuscujusq; rei singularis, habere sese per modum totius circa eandem, existentiam verò tantùm per modum partis, quia est solummodò modus rei singularis, modus verò & res ipsa cujus est modus, non sunt unum & idem: Quamobrem, quia existentia uniuscujusq; rei singularis est tantùm aliquid in entitate ejusdem actuali, non verò aut ipsa entitas actualis, quippe quam solum modificat sub ratione actualitatis, aut tale quid quod completè exhauriat totam rei singularis naturam, & quia ipsam essentiam, ut radicale principium & fundamentum supponit, & quasi consequitur eandem propterea formale, proprium & adæquatum uniuscujusq; rei singularis individuationis principium minimè esse poterit. Egregiè ergò ut solet *B. Jac. Mart. lib. 1. Part. Metaph. sect. 4. quest. 11. p. 188* scribit: *Pro majori confirmatione, (quod nempe existentia rei singularis, non sit principium individuationis) militat sequens argumentum: Principium individui constituit individuum: existentia non constituit individuum: Ergò nequit esse principium* Major nota. Minorem probo: Nam existentia, quatenus est distincta & singularis non constituit individuum, sed à formâ specificâ simul cum individuo constituitur. Etenim quando datur individuum, tum demum datur actus existentia singularis & propriè ita dictus.

§. 18. Atq; ita jam in genere de Principio Individuationis rerum singularium in communi consideratarum nonnulla disputavimus, consequens est, ut porro primùm de genuino adæquato atq; formali principio individuationis entium singularium materialium sive substantiarum completarum materialium in specie agamus. Illa igitur entia completa materialia cum duobus consent principiiis internis, materia scil. & formâ controvertitur, num materia, num forma, num verò utraq; sit eorundem principium individuationis? materiam esse principium individuationis internum, statuunt *Thomas part. 1. q. 3. art. 3. & Thomista. Vid. Suarez. disp. 5. Metaph. Sect. 3. p. 112. Mendozam disp. 4. Metaph. sect. 5. p. 343. Philippum à Sanctissima Trinitate. part. 3. Summa Phil. quest. 6 art. 5. p. 111. Lalemantetium in Cursu Phil. disp. 7. part. 3. de princip. Individ. p. 718. Rodericum de Arriaga in Cursu Philof. Diss. 1. Metaph. sect. 3. subsect. 5. p. 589. Zabarellam lib. de Constit. Indiv. c. 3. B. Jac. Mart. lib. 1. part. Met. sect. 4. q. 9. p. 184.*



§. 19. Atq; hujus Sententiæ Patroni assertum suum ex *Aristotele* probant, qui inquit, ea esse unum numero, quorum est materia una *lib. 5. Metaph. c. 6. text. 42.* quia enim ille sic definit unitatem individualement, non per formam, sed per materiam, hinc dicunt, materiam esse principium individuationis, illud enim esse rationem singularitatis, per quod ipsa singularitas definitur; jam verò de materia verum esse prius Ergò & posterius. Cæterùm alii per materiam intelligunt materiam nudam alii v. materiam signatam. Materiam signatam iterum variè explicant: Primâ expositio est, materiam signatam quantitate esse materiam cum quantitate, vel quantitate affectam, ut ita materia individuationem, quantitas distinctionem dare dicatur. Secunda explicatio est, materiam signatam quantitate non includere quantitatem ipsam intrinsecè, sed ut terminum habitudinis materiæ ad ipsam: Alii aliter eam exponunt: Quas varias materiæ signatæ expositiones cum annexâ earundem confutatione, qui nempe materia signata, quomodo cunq; etiam exponatur nullatenus adæquatam individuationis principium in entibus materialibus esse possit. Vid. apud *Svarezius loc. cit. p. 114. 115. 116. seq. B. Jac. Mart. loc. cit. pag. 185. 186.*

§. 20. Præcipuas ac generales rationes pro hac sententiâ militantes recenset *Svarezius loc. cit. p. 112.* inquit. *Fundamentum hujus sententiæ, si rationem spectemus, ferè nullam invenio, quod ad Aristotelis auctoritatem non revocetur: scil. quia materia est principium multiplicationis & distinctionis individuorum intra eandem speciem, ut Aristoteles testatur citatis locis: Sed illud est principium individuationis, quod est principium numericæ distinctionis: Ergò Secundo quia illud est individuum quod est incommunicabile inferioribus similibus, sed materia est primum fundamentum hujus incommunicabilitatis: Nam forma cum sit actus, de se communicabilis est, materia autem, cum sit prima potentia de se est incommunicabilis & forma tunc limitatur & determinatur, cum ad hanc materiam coarctatur. Tertio, quia individuum est primum subjectum in Metaphysicâ coordinatione, de illo enim omnia superiora predicantur & ipsum non de aliis: Ergò primum principium & fundamentum individui ut sic esse debet illud, quod est primum subjectum inter principia physica: hujusmodi autem est materia: Ergò*

§. 21



§. 21. Verùm enim verò ad primam rationem respondente  
rectissime *Svarez. & B. Jac. Mart. loc. cit.* Principium multiplicatio-  
nis & numericæ distinctionis non tam esse materiam quàm formã,  
hæc siquidem rem à re distingvit, secundum commune proloquium.  
Actus est, qui distingvit, unde hæc ratio potius pro formã milita-  
ret, quod illa esset principium individuationis entium singulari-  
um materialium. Alteram rationem *Svarez. loc. cit.* prolixè re-  
futatur. Nos talem damus *ἐπιπέριον*: Verissimum quidem esse, Ens  
singulare materiale esse incommunicabile, ali in se & sua natura  
determinata & singularificata, sed materiam primum hujus in-  
communicabilitatis fundamentum esse negamus, atq; hoc formæ  
potius adscribimus, falsum enim est formam ad hanc materiam  
coarctari limitari & determinari, ita enim illa sese haberet *παθη-  
τικῶς* ac passivè, forma potius ut principium activum ut domina  
& rector in ente singulari materiali, limitat & determinat mate-  
riam eandemq; specificat, quàm ut illa à materia determine-  
tur ac specificetur, quippe quæ tantum est ac manet principium  
passivum in ente singulari materiali. Ad tertiam & ultimam ratio-  
nè respondet *Svarez. loc. cit.* Confundi in eadem subjectum inhæ-  
sionis cum subjecto prædicationis, cui & hoc addi potest, frustrâ fū-  
damentū individuationis entium singularium materialium quærì  
in prioritate ac posterioritate naturæ principiorum physicorum,  
materiæ scilicet & formæ, quænam illarum sit prior naturâ quænam  
posterior, atq; ut ita naturâ priori assignetur ratio singularitatis, cū  
materia & forma sint simul natura & simul concurrant, sine diffe-  
rentiâ temporis ad constitutionē totius compositi materialis, unde  
falsò hæc prioritas materiæ attribuitur. Neq; tamen (ut tandem  
paucis quid hac de re statuam, significemus) materia à ratione sin-  
gularitatis ac individuationis Entium singularium materialium  
planè excludi poterit: Atq; proindè distingvendum esse, puta-  
mus inter principium individuationis entium singularium mate-  
rialium totale, completum & adæquatum: & parziale, incom-  
pletum & inadæquatum. Prius de materia negamus, posterius  
de eadem concedere possumus. De priori præprimis disputatur,  
non adeò de posteriori.



§. 22. Formam esse principium individuationis internum entium singularium materialium censent, *Niphus lib. 5. Metaph. Disp. 5. Perez. l. 3. de Anima, concl. 1. Zimara Theorem. 97. Averr. lib. 1. de anima c. 7. Avicenn. lib. 6. Nat. part. 1.* Atq; hæc sententia confirmatur exindè, quia primum principium individuationis duo requirit, primò debet esse id, quod intrinsecè constituit hanc substantiã, secundò debet esse maximè proprium illius: Atq; adeò ratione primæ proprietatis debet esse aliquid substantiale uam accidentia, nec constituunt substantiã neq; hanc substantiã: nam hæc substantia etiam ut est, hæc est Ens per se & substantiale: At ratione alterius proprietatis hoc principium non potest esse materia, sed forma: quia hæc materia non est maximè propria hujus individui, cum sub aliis formis esse possit: Ergò forma est principium individuationis. Vide *Svarez. loc. cit. sect. 4. p. 121. Philip. à sanct. Trinitate loc. cit. art 1. p. 95.*

§. 23. *B. Jac. Mart. loc. cit. quæst. 10. p. 187.* in probanda hac sententia hæc utitur rationibus: *Unumquodq; ens, inquit, habet suum esse à forma: Ergò etiam individuum. Intelligimus autem non formam individualement, quæ est non ens, sed specificam, hæc enim dat ultimùm complementum: Hinc Aristoteles dicit 1. Phys. c. 7. text. 69. formam constituere hoc aliquid: 2. Quodcumq; rei dat actum ultimùm, & perfectum: Illud ejusdem rei est principium, sed forma specificè dat perfectum actum individuo: Ergò quoq; ejus est principium. Major nota: Principium enim ita debet perfectè individuum constituere, ut ab omnibus aliis distingvatur. Minor probatur: quia est forma ultima & perfectissima quæ ultimam perfectionem assecuta est, neq; ulla alia forma superveniente perficitur: Sic forma hominis actus perfectus est, propterea quia non actus aliquis ei supervenit, quo perficiatur.*

§. 24. Nos circa præsens negotium repetimus primò distinctionem nostram, quam supra adduximus, distingventes iterum inter principium individuationis entium singularium materialium totale, completum & adæquatum, & inter principium parziale, incompletum & inadæquatum, prius de formã (uti antea quoq; de materia) negamus, posterius concedimus: de priori hic rursus quæritur, non adeò de posteriori: Deindè secundo



do distingvimus inter principium individuationis partiale, seu  
 inadæquatum primarium & secundarium concedimus pri-  
 marium esse formam, secundarium tamen materiam quoque esse  
 asserimus. Consentit nobiscum *Svarez loc. cit. p. 121. 122. ita*  
*scribens. Sed objiciet aliquis contra hanc sententiam & ra-*  
*tionem quia quamvis rectè probet formam conferre ad unita-*  
*tem, non tamen quod ipsa sola sit principium individuationis: Nam*  
*etiam materia est principium intrinsecum constituens rei entitatem,*  
*& ideo etiam erit principium individuationis, si non sola saltem cum*  
*forma: Respondetur ergò, verum quidem esse adæquatam causam in-*  
*trinsecam individualis unitatis substantia materialis esse formam*  
*& materiã, tamen si hæc duo inter se comparentur, præcipuam causam*  
*hujus virtutis esse formam, & hoc sensu illi specialiter attribui, quod sit*  
*individuationis principium. Et paulo post: Simpliciter verò di-*  
*cendum est formam solam non esse plenum & adæquatum indi-*  
*viduationis principium rerum naturalium, si de tota earum entitate*  
*loquamur quamvis sit præcipuum, ideoq; juxta formalem modum lo-*  
*quendi interdum censeatur sufficiens ad denominationem ejusdem*  
*individui Adstipulatur quoq; B. Jacob. Mart. loc. cit. quando*  
*ait: Largimur formam adiutricem ad sciscere materiam, cum sit quasi*  
*occafio quedam ut formæ individua producantur? Principaliter ta-*  
*men forma est principium constituens. Hinc rectè dicitur quod materia*  
*sit potius propter formam, quam è converso: Ergò potissimum indi-*  
*viduationis principium est forma hæc enim distinguit sola, cum posita*  
*forma ponatur res singularis & in actu: Eadem verò ablata, res ipsa*  
*tollatur. Unde sua sponte sequitur formam esse causam, ut indivi-*  
*duum sit actu. Ecquod ergò tandem erit principium individua-*  
*tionis, internum, totale, completum & adæquatum Entium sin-*  
*gularium materialium? Dicendum est hoc esse ipsam entita-*  
*tem eorundem completam ac totalem, constantem utroq; prin-*  
*cipio incompleto, materiã scil. & formã in unione & compositio-*  
*ne reali.*

§. 25. Atq; hæc sufficient de Principio individuationis  
 interno entium singularium materialium, quod attinet ens infi-  
 nitum, Deum nostrum gloriosum rectè de eodem *Svarezius loc.*  
*cit. p. 12. loquitur: Omittimus dicit, divinam substantiam quoni-*  
*am illa per se & essentialiter individua est, unde non est, quod in ea*

*quæritur*



quærat<sup>r</sup> individuationis principium magis quam essentia, vel existentia ipsius. De Principio Individuationis entium singularium immaterialium seu Spiritualium placent nobis verba B. Jac. Mart. loc. cit. p. 191. Cum in substantiis immaterialibus non sit nisi simplex substantialis entitas completa, hæc entitas quæ ex se talis est, & per se ab aliis distinguitur, principium individuationis erit. Materiam ipsam, ut & formam substantialem ipsam, intrinsecè per suasmet proprias entitates individuari asserimus, Vide Autores sæpius citatos.

§. 26. Ultimò deniq; quæritur quodnam sit Principium Individuationis accidentium? Num propria eorundem entitas num verò subjectum inhætionis, cui illa inhærent. Ubi Respondemus principium individuationis circa hoc negotium dupliciter intelligi & explicari posse: primò in ordine ad esse præcisè spectatum, & ad propriam rei alicujus constitutionem secundum se. Secundò in ordine ad productionem seu efficientiam, quatenus agens determinatur ad distinctum individuum producendum. Priori modo dicimus principium individuationis intrinsecum accidentium non esse subjectum cui inhærent, & à quo proveniunt, sed ipsas entitates eorundem, ex quibus suam individuationem & numericam distinctionem habeant. Posteriori autem modo dicimus affirmari posse accidenti posse accipere individuationem & numericam distinctionem ex subjecto tanquàm ex radice individuandi & distinguendi eadè ab aliis entibus. Vid. Philippum à Sanctis, Trinit. part. 3. Sum. Philos. quest. 7 de princip. Indiv. Accid. quest. 7. Art. 1. p. 121. Suarez. loc. cit. Sect. 7. p. 130. 131. B. Jac. Martini loc. cit. q. 13. pag. 191.

---

**F**LEISCHHACKERE tuum miror laudoq; laborem,  
Scilicet egregiæ sedulitatis opus.  
Ingenium quodcunq; Tuum molitur, id ipsum  
Spontè fluit; studiis prospera dico Tuis.

Georgius Cassp. Kirchmaier,  
Eloqv. Prof. Publ.





05 A 822

**ULB Halle** 3  
003 768 392




WMA











17

משנה ראשונה

DISPUTATIO METAPHYSICA

De

PRINCIPIO IN-

DIVIDUATIONIS,

Quam

ATHENIS LEUCOREIS

publicæ cognitionis subjiunt

P. R. A. E. S. E. S.

M. GERHARDUS WICHMAN,

Facultatis Philosophicæ Adjunctus

&

RESPONDENS

ANDREAS Fleischhacker /

Rustensis Hungarus.

ad d. 30. April. in Aud. minor.

hor. matut.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.

18.

